

DISCUSSIONUM PERIPATETICARUM  
TOMI III LIBER VII

Solutio eorum, quae Aristoteles  
in activa philosophia Platoni obiecit

5

Hactenus non sine magno labore ac pene nausea prosecuti sumus ea, quae Aristoteles tum in divinis, tum in naturae rebus Platoni obiecit perperam. Modo est propositum persequi ea, quae in politica philosophia a praeceptore tradita discipulus reprehendit, perpendereque quanta vi rationeque in ea sit investus.

10

Itaque 1. Politico<sup>i</sup>, capite ultimo scripsit in hunc modum:<sup>1</sup> *neque eadem temperantia mulieris et viri nec fortitudo nec iustitia, sicuti putavit Socrates. Sed haec principalis fortitudo, illa ministra. Similiter habet etiam de aliis.* Id autem visum est Socrati 5. Rei publicae hac scilicet ratione:<sup>2</sup> *Fatemini oportere unumquemque natura, unum quid suum agere.* Et:<sup>3</sup> *aliam naturam, aliud oportere curare.* Ex his intulit virum et mulierem eiusdem, non alterius esse naturae nullaque alia in re inter se differre, quam quod vir premat, femina pariat. Ergo eadem natura cum sint, eadem doceri debent. Neque vero non vera est minor propositio, cum sexu tantum mas et foemina differant, non specie, non corporis forma, non anima, non ani-

20

<sup>1</sup> καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἀνδρός, οὐδ' ἀνδρεία καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης, ἀλλ' ἡ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρεία, ἡ δ' ὑπηρετικὴ [corr. ex ὑπερατικῆ], ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ τὰς ἄλλας. [ARIST. Pol. 1260a.21 – 24]

<sup>2</sup> ὡμολογεῖτε δεῖν κατὰ φύσιν ἕκαστον ἓνα ἐν τῷ αὐτοῦ [ᾧ αὐτοῦ] πράττειν. [PLATO, R. 453.b.4 – 5]

<sup>3</sup> ἄλλην φύσιν ἄλλο δεῖν ἐπιτηδεύειν. [corr. ex ἐπιτηδεύειν] [PLATO, R. 453.e.3]

<sup>i</sup> Nije riječ o Platonovu *Državniku*, nego o Aristotelovoj knjizi *Politica*, a Petrić je obično citira kao *Politicorum <libri>*.